

ARGUMENTUM.

*Quid & quomodo reus sive confessus aut convictus : sive nondum per
plenas probationes aut propriam confessionem convictus vel per se, vel per
suum defensorem viva voce, vel etiam in scriptis petere possit, hic consti-
tuitur.*

EXEGESIS.

DUæ itidem hujus articuli sunt partes. I. *Quid à parte rei coram
Judicio hoc ultimo criminali sit petendum?* Postquam enim con-
tra ipsum accusatio est repetita in Judicio, utique & ipsi integrum
ad istam accusationem vel per se, vel per suum defensorem itidem ali-
quid petere. Ubi distingvendi sunt duo Casus : (1) *Reus vel confes-
sus est delictum, vel de eo sufficienter est convictus, eò modò, prout in superio-
ribus illud est expositum.* Et hoc casu, (sunt verba Constitutionis,) *mag
er nichts anders / denn umb Gnade bitten / oder bitten lassen ; Judi-
cis itaque clementiam seu misericordiam implorabit, cum in confessum
& convictum nullæ aliæ sint Judicis partes, quam condemnare. per
l. 25. §. 2. ff. ad L. Aquil.* Hinc scribit Marc. Anton. Blancus *in Tract. de In-
dic. num. 308. pag. 632.* quòd petitio veniæ seu gratiæ in Judicio sit deli-
cti confessio, quo cum facit Julius Clar. *l. 5. Sentent. §. fin. quest. 49. num. 17.
pag. 671.* Et ibidem Bajardus *num. 68. pag. 674.* Et mala est causa, quæ
desiderat & requirit misericordiam. Frustra dissentiente Menochio *l. 1.
quest. 8. num. 36. & 37. pag. 19. de A. J. Q.* nam si causa est bona & justa, quam
quis fovet, non necesse est, ut Judicis clementiam imploret pro miti-
gando rigore juris in ferenda sententia, sed tutò potest petere, ut sibi
Justitia administretur, & is ab instituta accusatione absolvatur. Et ea
ratione existimo Advocatum posse notoriè malefici causam coram Ju-
dicio capitali tractandam in se suscipere, non ut eum ad negandum
delictum incitare, neque Judicem falsis & eumentis allegationibus per-
vertere, & ita reum promeritis pœnis subtrahere studeat : sed saltem,
ut si quid in dictis testium deprehendat, quod ad ejus defensionem
facere possit, inde extrahat, & si viderit, parum vel nihil superesse, quod
defensioni inservire queat, ita negotium proponat, ut ad gratiam & cle-
men-